8

Praeter quod a gravissimis authoribus audivi
de P. P. Balthasare Mendes, dum per
Galliam transiret, et maxime per Aquitaniam
1° Tolosae exceptus fuit maxima laetitia nostrorum,
et magno concursu virorum nobilium,
ex omni genere, senatorio, equestri, civili.
Rogatus habere concionem publicam,
praestitit coram copiosa multitudine illustrium
virorum, et maxima auditorum satisfactione;
Italice locutus a multis, qui linguam callebant,
auditus est cum singulari voluptate, a caeteris cum
singulari aedificatione; cunctis mirantibus virum
principem ex Mahumetanorum nobilibus, tam praeclare
fidem Catholicam praedicare.
Tolosa digressus venit Burdigalam, ubi latere
2° voluerat prae humilitate, et modestia, quosque
honores quos Tolosae receperat. Non potuit
tamen effugere aliquorum visitationem et
colloquium, ut Illustriss. Archiepiscopi, D. Intendentis,
et aliquot praesidum supremi senatus, amicorum
Societatis. qui omnes incredibiliter hominis modestiam,
pietatem, zelum, et spiritualem in vultu spirantem
mirati sunt.
3° Cum apud nostros in collegiis privatis, et publicis
mensa disserit circumferebantur multa eius
dicta et facta, quae ab uno e nostris, P. Scriban

Antonio Bonnetto, nunc domus professae
Tolosanae praeposito, collocti fuerant,
cum quaedam P. Bonnetus mittere promisit
ad P. Assistentem Galliae, si id optaret.

4. Quod ego ipse, qui hominem non vidi,
testari possum, istud est, totâ provinciâ
celebritatem apud nostros paruisse mirabilem
quendam zelum, conceptum ex praesentiâ,
colloquiis, consiliis P. Balthasaris, et aliquos
se devovisse missionibus infidelium, multos se
ipsi comites obtulisse; hodie adhuc vivere apud
nostros ejus memoriam, et venerationem.

5°. historias ejus conversionis totâ Galliâ sparsas esse,
ita ut passim ab omnibus sciatur, et praedicentur,
cujus etiam rei testis esse possum.

6°. Pater, ni fallor, qui est circa postrema Galliae
ad Pyrenaeos, profectus est in Hispaniam:
quod de re tamen dubitare possum, cum nihil
de ejus transitu acceperim a patribus Collegii
Palensis, ubi numerosa est nobilis et Academica
nostrae juventutis.

Joannes Bomier è Soc.te Jesu

15° Junii
1693.

Pauca haec ad V. R.am mitto, quae
certissima sunt, licet non ita in speciem
magna, sed quae sudere possint, magnum
ubique apparuisse p. Balthazar, etiam-
hospitem, et brevissimo tempore convenientem.
Si plura habuerimus ex p. Antonio Bonneto,
haec V. R.ae reddam, deum precatus, ut
in eo consilio, quod V. R.a sanctissime cepit,
scribendi tanti viri virtutes, illi vires
animi corporisque suppeditet.

Obsequentissimus V.ae R.ae servus
Joann. Romier

Reverendo Patri

P. Brunacio